



**I**Oannes natus est Augustæ Vindelicorum hone-  
 stis parentibus anno 1495. Is cum prima litera-  
 rum rudimenta percepisset, sese hinc inde ad varias  
 Academias contulit, atq; artium & linguarum stu-  
 dio magna diligentia incubuit. In primis uerò He-  
 braicæ linguæ atq; sacris literis operam dedit. Po-  
 stea ad Vuitebergensem Academiam peruenit, &  
 doctissimis uiris præceptoribus usus talem sese ex-  
 hibuit, ut sacrarum literarum Doctor constitue-  
 retur. Accedebat & docendi ingenuitas, pieta-  
 tis amor, & morum innocentia. Id cum proceres  
 Academiæ intellexissent, eum inter eius Gymna-  
 sij professores receperunt, & sanctæ linguæ expli-

cationem commendarunt. Eam functionem Ioannes grato animo suscepit,  
 & talem sese præstitit, ut licet corpore paruus, tamē animo magnus eam scho-  
 lam plurimum exornarit. Cum etiam uideret Christianam iuuentutem ni-  
 mium Rabinorum scriptis detineri, ipse sacrae linguæ studium multò facilius  
 proposuit, Dictionarium Hebraicum cōscripsit, & anno millesimo quingen-  
 tesimo quinquagesimo sexto omnibus publicè legendum exhibuit, quo qui-  
 dem facto sacrarum literarum studium optimus senex plurimum promouit,  
 & de communi Christianorum republica præclare meritus fuit, ut dignus sit,  
 qui hoc loco optimis ingenijs, in Germanorum Prosopographia, connume-  
 retur. Anon.